



**Quæstionum Canonicarum, In Quinque Libros  
Decretalium, Tomus ...**

In Librum II. Decretalium, Per Triginta Titulos Distributum, In Quo Agitur  
De Judiciis, Foro Competenti, Libelli Oblatione, Mutuis petitionibus, ...

**Krimer, Ferdinand**

**Augustæ Vindelicorum, 1708**

Qvæstio IV. In Tit Iv. De Mutuis Petitionibus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73001](#)

## QUÆSTIO IV.

## IN TIT. IV. DE MUTUIS PETITIONIBUS.

**523.** **C**um subinde contingat, quod Reus ab Actore in judicio conventus, re-conveniat Actorem, & vicissim ab illo petat debitum; hæc conventionis & reconventionis, mutuae petitiones dicuntur, nec aliud sunt, quam conventionis Rei ex parte Actoris, & hujus reconventionis ex parte Rei. Quando enim Reus libellum Actoris à Judice accepit; & petitione cognitâ vicissim habet, quod exigat ab Actore, obtinendum in judicio, puta, si compensatio non sit locus, offerre vicissim solet Judici libellum, quo mutuo petit ab Actore, quod sibi debitum est, expressa in libello petendi, ac debendi causâ, prout quæstione superiori dictum est de oblatione Libelli.

## ARTICULUS I.

*Quæ dicantur mutuae petitiones?*

**524.** **E**x præcedente numero constat, per mutuas petitiones intelligi, actionem, quâ Reum convenit Actor; & in eodem judicio Reus reconvenit Actorem, vicissim aliquid exigendo ab eo per Libellum Judici oblatum. Reconventionis definitio actio à Reo conuento adversus Actorum durante conventionis judicio, sub eodem Judice, parique passu agitata. Hinc reconventionis est Rei; & conventionis, Actoris mutua petitio; ac in re non est aliud, quam conventionis ab Actore factæ retoratio. Alii dicunt, reconventionem esse mutuam actionem, & fieri posse coram Judice ordinario, & delegato; Novellâ, de Executorib. & illud. & in Authent. & consequenter. C. de sentent.

**525.** Reconventionis æquitas commendatur in L. Papinianus. 14. C. de sentent. & interlocut. ubi dicitur: cum Papinianus, summi ingenii Vir, in quæstionibus suis ritè deposituerit, non solum Judicem de absolutione rei judicat, sed & ipsum A-

ctorem, si ècontrario obnoxius fuerit inventus, condemnaret, hujusmodi sententiam, non solum robورandam, sed etiam augendam esse sancimus: ut liceat Judicem vel contra Actorem ferre sententiam, & aliquid eum daturum, vel facturum pronuntiare, nulla ei opponenda exceptione, quod non competens Judex agentis esse cognoscatur. Cujus enim in agendo observat arbitrium, cum habere & contra se Judicem in eodem negotio non dedignetur. Idem habetur 3. q. 8. c. Accusatores. 1. ibi: nullum eorum (nimurum Episcoporum) sententia à non suo Judice dicta constringat; quia & leges seculi id ipsum fieri præcipiunt, ut Codice, libro septimo, titulo de sententiis & interlocutionibus omnium judicum; lege penultimâ. Cujus in agendo quis observat arbitrium, cum habere etiam contra se Judicem in eodem negotio non dedignetur; sic Zepherinus Papa, ad Episcopos Siciliæ. Et ratio est, quia non debet Actori in judicio licere, quod Reo non permittitur, L. non debet, 41. ff. de Regul. juris.

Not. autem, soli Reo competere reconventionem, ut colligitur ex dicta L. Papinianus; & Authent. Et consequenter, C. de sentent. & interlocut. ibi: Et consequenter ego ab aliquo conuentus, si vicissim ipsum pulsare velim: statim quidem hoc non licet, nisi apud eundem Judicem; qui, si displiceat, intra viginti dies recusari potest, aliasque mereri, apud quem rursus utrumque negotium ventiletur. Alioqui lite contra me motâ, prius ventilatâ, & terminatâ, tunc demum & ego admittar. Hinc Actori reconvento à Reo, per ipsum conuento, non licet etiam reconvenire Reum; ne actiones & lites in infinitum cumulentur; id, quod juri inimicum esse, colligitur ex c. 2. de rescript. in 6. ibi: cum in multis iuris articulis infinitas reprobetur; nam reconventionis est actio partis conuentus; non autem reconventa, ut liquet ex definitio-

526.

*De reconventionis* in n. 524. Et quoniam reconventionio est propriè *actio*, quæ non eadit in eum, qui non habet legitimam personam standi activè in judicio; tametsi excommunicatus conveniatur ab altero, istum ille reconvenire non poterit ex dictis; cum reconventionio non sit tam defensio, quam vera *actio*, & judicialis peti-

tio. debeat dignari eundem habere Judicem contra se, quem sponte elegit pro se, contra alterum; sic Abbas in c. 1. h. t. n. 3. Bartolus in Authent. Et consequenter. Et quamvis Squillante de privilegiis Clericorum c. 7. num. 62. apud Barbosam in dict. c. 1. n. 5. indefinitè tradat, non admitti reconventionem, si delegatus fuisset impetratus à Reo; videtur tamen distinguendum, ut procedat, si Actor vellet Reum reconvenire; quia reconventionio datut solùm convento, non convenienti: non autem, ut tunc non licet Reo instituere reconventionem Actoris, nisi forte propter hoc ipsum, quod à Reo impetratus sit, Judge suspectus foret; sed hoc etiam opponi posset contra Judicem impetratum ab Actor.

## ARTICULUS. II.

*Coram quo Judice fieri debeat reconventionio?*

527. *E*x Authentica, & consequenter, colligitur, Actorum reconveniri posse à Reo, coram eodem Judice, coram quo ipse conventus est ab Actor; nam illa indefinitè loquitur; adeoque procedit saltem de Judice *ordinario*, si coram eo, tanquam competente, & capace, conventus sit ab Actor. Idem colligitur de Judice *delegato*, ad petitionem Actoris dato, per c. Ex literis. 1. h. t. Cùm enim Plebanus, & Clerici Murenses à Papa impetrassent rescriptum ad Judices contra Abbatem, & Conventum Monasterii Murensis super quibusdam controvēsiis; eo oblatō rescripto, Abbas & Conventus vicissim capitula proposuissent, ad quæ Plebanum & Clericos respondere sibi coram eisdem delegatis Judicibus petebant; hanc eorum petitionem *justam esse* respondit Alexander III. & mandavit: quatenus actione Plebani, & Clericorum proposita, & responsione facta: monitione præmisā, compellatis eosdem, memoratis Abbati, & fratribus in continenti coram vobis super suis quæstionibus respondere, ut vicissim postmodum rationes partium audientes, concordia vel judicio utriusque negotium terminetis.

528. Dixi: ad petitionem Actoris dato, nam si delegatus datus sit ad instantiam utriusque partis, vel motu proprio delegantis, sectis dicendum est; quia in hoc casu cessat ratio, propter quam admittitur reconventionio, quatidū delegatus datus est ad instantiam partis, quæ in eo sita est, (ut patet ex cit. L. Papinianus) quod non

Et quoniam, ut locus sit reconventioni, 528. Judge debet habere jurisdictionem, vel ordinariam, vel delegatam; cum reconveniens supponatur ab Actori conventus coram illo, quod non stat sine jurisdictione competente Judici conventionis: Arbitri autem compromissarii, seu voluntarii, ac electi consensu partium (secus est de Arbitris necessariis, seu Arbitris juris) nullam habeant jurisdictionem, ut constat ex lib. 1. tit. 43. de Arbitris; sequitur, coram Arbitris voluntatiis non esse locum reconventioni.

Præter hæc in præsenti quæres ulterius, an reconventioni locus sit, si Actor à conventione velit desistere? Affirmationis opinio se firmat in eo, quod, supposita conventione, ipsum jus Judici conventionis proroget jurisdictionem contra ipsum, si à Reo reconveniatur; ergo non potest Reo negari reconventionio, jure concessa, ex arbitrio Actoris pro libitu à conventione desistentis; sed negantes respondere, quod Actori nolenti responde te, negaretur audientia; quia Reus non præsumitur velle insistere reconventioni, nisi alter insistat conventioni; ergo ubi iste desistit, præsumitur etiam desistere alter, quin tamen Actor ulterius in conventionis puncto audiatur.

Quæres. 2. an Judge in causa reconventionis possit procedere, si Actor, T 2 succum-

succumbens in causa conventionis, appellat? Difficultas est ex eo, quod uno iudicio utraqùè causa debeat terminari; atque adeo, cùm appellatio à sententia in causa conventionis, supponat sententiam super ea latam, hæc autem ferri nequeat, nisi etiam latâ sententiâ super causa reconventionis, videtur & hæc prius fi nienda, quâd appellatur; con sequen ter quæstioni non esse locus: quia tamen fieri potest, quod non sit necesse, unâ eâdemquâ sententiâ utramque causam terminari (ut si una liquida sit, altera indigeat examine longiori) videtur dicendum, iudicem posse procedere in causa reconventionis, etiam interposita appellatione à sententia conventionis; cùm sint causæ diversæ; & Actör in causa reconventionis per nullam adhuc sententiâ sit gravatus; his præmissis:

### §. Unicus.

*An Clericus reconveniri possit coram  
Iudice Laico?*

532. **C**ausa esse potest, si Clericus apud Iudicem secularis ageret contra Laicum, & is habens vicissim aliquam prætensionem contra Clericum, hunc reconvenire vellet coram eodem Iudice seculari; ut hoc resolvatur, not. communem Doctorum opinionem esse, quod Clericus in causa mere spirituali reconveniri non possit coram Iudice Laico, seu seculari. Quamvis enim verum sit, quod, qui alterum convenit coram Iudice non suo, suppositâ legis constitutione prorogat jurisdictionem, debeatque esse contentus, ut & ipse coram eodem conveniri possit in causis etiam diversis, ut constat ex dict. nam. 525. hoc tamen intelligendum est, si talis Iudex habeat præexistentem aliquam jurisdictionem cognoscendi de talibus causis; alias enim nulla jurisdictionis prorogatio fieri potest, ut diximus à numer. 292. sed in Iudice laico, seu seculari nulla præexistit jurisdictione cognoscendi causas mere spirituales, ut ex se constat, & colligitur ex c. Tuam, 3. de ordine cognit.

Ex hoc autem sequitur, nec in causis annexivè spiritualibus; nec etiam in criminalibus reconveniri posse Clericum coram Iudice Laico, seu seculari; ita Layman in c. i. h. t. num. 3. quia in Iudice Laico nulla præexistit jurisdictione iudicandi de causa spiritualibus annexa, ut constat ex num. 66. & patet ex cit. c. Tuam, ubi expressè habetur, quando coram Iudice Laico petenti hereditatem objicitur defunctus natalium, vel exceptio Nativitatis, hanc causam, & quæstionem deberè prius terminari coram Iudice Ecclesiastico, non seculari; & hunc debere supersedere etiam in causa principali, dum illa incident ab altero terminetur: at quæstio de natalibus non est mere spiritualis, sed solùm annexa spiritualibus: ergo. Altera vero pars de causis criminalibus Clericorum, constat pariter à numer. 93.

Potissima difficultas est, an Clericus reconveniri possit in causis mere civilibus, & profanis? Haunoldus tom. 5. de Iure, & Iust. tr. 3. num. 338. censet, in reconventione non esse locum exceptio ni dilatoriae, desunt pta ab incompetencia; quod nimurum reconveniendus non sit subiectus Iudicii, licet coram ipsis alterum convenienter; rationem sumit ex dicta L. 14. de qua n. 525. ibi: nullâ ei opponenda exceptione, quod non competens Iudex agentis esse cognoscatur. Sed hoc fallit, ubi Clericus reconveniretur coram Iudice Laico, in mere spirituali, vel annexo, uti & in criminalibus, ut dictum est præcedente num.

Barbosa c. i. h. t. num. 4. ad illa verba (compellatis eosdem coram Vobis super suis quæstionibus respondere, nimurum Reo, qui coram ipsis ab Actore convenitus fuerat) vult reconventioni locum esse, etiam si Judex reconventionis sit incompetens, veluti Laicus ratione Clerici; & pro sua opinione satis copiosos refert Authors; sed hoc ex decisione illius capituli non recte deducitur; quia ibi non fuit judicium inter Clericum Actorem, & Reum Laicum: sed inter meros Clericos, nimurum inter Plebanum, & Clericos Maturenses, contra Abbatem, & Fratres

tres Maturensis Monasterii, à quibus Abbas, cum suis conventus, reconvenit Plebanum, & socios. Deinde, quod desumitur ex L. 14. (de qua n. 525.) est dispositio juris civilis, non valentis decernere contra Immunitatem Clericorum; utroque jure, Ecclesiastico, & seculari, imo & Divino concessam Clericis, de quo egimus ex professio lib. i. tit. 2.

**n. 536.** Andreas Vallenſis h. t. num. 3, in quæſtione proposita pro ſententia abſolute afſirmante ſic loquitur: qui non cogitur in aliquo loco judicium pati, ſi ipſe ibi agat, cogitur excipere actiones, & ad eundem Iudicem mitti: etiamſi Clericus ſit, qui coram Judice Laico Reum condenit, ex receptioni DD. ſententia; quia ſcilicet rationi, ob quam coram laico Clericus conueniri non potest, prævalet, æquitate ſuadente; cùm non debeat quiſ quem dedignari Iudicem, cuius in agendo arbitrium ſecutus eſt, L. cùm Papinianus. can. Accuſatores, q. cujus in agendo. i. i. q. 8. Et hujus respectu Abbas & Felinus materiam reconventionis ſcribunt eſſe favorabilem, cui accedit, quod in judiciis inter litigantes ſervanda ſit æqualitas, L. non tamen. 20. in fine, ff. de re judicata, L. ult. c. de fructibus; & litium expenſis: nec perlonarum ratio haberi debeat, c. in judiciis, de R. J. in 6.

**n. 537.** Conſirmat. i. quia non obſtat c. Si diligenti, de foro compet. ex quo non licet Clerico vel expreſſe, vel tacite jurisdictionem laici in ſe prorogare, & ibi communiter Canonistar; quia hoc caſu prorogat non Clericus ipſe jurisdictionem Laici in ſe, ſed ipſa lex prorogat, ſeti po- tius dat, & defert laico jurisdictionem in Clericum, diſt. L. cùm Papinianus. Et ideo haec prorogatio eſt legalis, ſi ita vo- care lubeat: nam cùm Summus Ponti- fex nusquam veruerit Clericum coram Judice laico conueniri, videtur voluiffe hac in parte ſequi legem civilem, arg. c. i. de novi operis nuntiat. latè Theop. Gisbert, de reconvent c. i. i. ptaſſerit cum videamus Pontificem delegati Judiciis jurisdictionem ad caſam, in delegationis reſcripto non expreſſam, ſpecia- li reconventionis favore prorogasse, &

voluiffe modum procedendi, datum in cauſa conventionis, intelligi repetitum in cauſa reconventionis, c. i. & 2. h. t. Conſtat autem competentem eſſe Judicem alicujus, qui in eum jurisdictionem à lege habet, L. i. ff. de eo, cui mand. eſt ju- risdicſ.

Secundò, quia, cùm liceat Clerico Laicū coram Judice Ecclesiastico conve- nire; æquum eſt, ut Laico quoque liceat Clericū coram Judice laico reconve- nire: in iis ſcilicet cauſis, de quibus co- gnoscere Laicus potest, non autem in iis, de quibus cognoscere nequit, veluti in cauſa matrimonii, decimārum, & aliis ſpiritualibus: item criminalibus, quæ infamant, aut capitales ſunt, glossa in c. Atſi Clerici, V. tenet, & ibi latè Panorm. n. 10. & ſeqq. de judiciis, Clarus Pract. crimin. q. 63. n. 6.

**n. 538.**

Tertiò, quia non obſtat, quod privi- legium Clerici; ne conueniatur coram Laico, ſit toti Ordini Clericorum conces- ſum: nám pariter, quod Legati legatiō- nis tempore conueniri non poſſint, publi- ca utilitatis favore inductum eſt; & ta- mèn recotiveniri eos poſſe conſtat ex L. 2. q. Sed etſi agant, ff. de judiciis. In- dèque ſequitur duntaxat. Clericum non poſſe prorogare jurisdictionem laici in ſe; in ptaſſidium Ordinis Clericalis; non autem, quod ipſa lex id non po- fit.

**n. 539.**

Quarto, quia non obſtant jura, quæ ve- tant Clericum à Judice ſeculari ſolvi, vel condennari, ſub poena excommunicatio- nis c. i. 2. & cit. c. ſi diligenti, de foro compet. c. Denique, diſt. 96. quia intelligi poſſunt de cauſis mere spiritualibus, vel quoad conventionem, prout in c. qualiter. i. 6. de judiciis, indicant illa verba, ne Clerici trahantur à Laicis ad judicium ſe- culare.

**n. 540.**

Hæ tamen ratiōes non videntur evi- cter intentum; primò enim in quantum ſe fundant in dicta L. Papinianus 14. ea jutis civilis dispositio non poſt porrigi ad Clericos, utpote utroque jure exemptos à foro Judicis Laici, ut conſtat ex dictis à n. 357. porrò ratio, quod quiſ non debeat de- dignari Iudicem, cuius in agendo ſecutus eſt arbitriū, non adeo fundatur in æqui- tate naturali, ut haec porrigatur ad com-

**n. 541.**

prehendum quemcunque casum ; cùm ipsi quoquè (ut dicemus in seqq.) qui ceteròquin stante prò affirmante sententia , plures admittant limitationes , in quibus non procedit ea regula indefinite , quòd conveniens aliquem coram Judice non suo , reconventus debeat eundem sustinere etiam contrasse , suadente id aequitate naturali ; procedit ergò solum , nisi obviet exceptio jure recepta . Vnde dato , quòd materia reconvencionis sit favorabilis , & consequenter petat aequalitatem inter litigantes ; intelligendum tamen venit , seclusis casibus jure exceptis ; id , quòd ipsi sustinere debent in suis limitationibus , de quibus infra ; præsertim , cùm etiam hoc ipsam , quod assumunt de aequalitate inter litigantes servanda , fallat in pluribus , ut ostensum est à n. 173 . ubi respondimus ad quæstionem , in quibus Actor , & Reus jure pari , vel dispari gaudeant .

**542.** Ad. 1. confirm. in n. 537. Resp. plura contineri . Nam , quod dicitur non obstat c. Si diligenti , negandum est ; nec contrarium probant adducta . Dato enim , quòd in casu reconvencionis non Actor , sed ipsa lex judici ceteròquin alieno proroget jurisdictionem , in eum , qui coram ipso alterum , tanquam in foro competenti convenit ; hoc tamen intelligendum est , quando jurisdictione prorogabilis est ; at , si in Judice conventionis non præexistat ulla jurisdictione cognoscendi talem causam , super qua titulo reconvencionis cognoscere deberet , jurisdictione ejus non est prorogabilis , ut ostensum est à n. 292 . constat autem , quòd in Judice seculari nulla præexistat jurisdictione cognoscendi de causis Clericorum , non tantùm criminalibus , sed etiam civilibus ex dict. n. 66 . & 93 . ergo .

**543.** Deinde negandum est , quòd Summus Pontifex nunquam vetuerit . Clericum coram Laico conveniri ; primò enim hoc vetuerunt apertè Summi Pontifices , ut ostendimus l. 1. tit. 2. & hic in præmissis à n. 66 . sed ipsi quoque Principes seculares , ut constat ex l. 1. tit. 2. Nec juvat , quod Vallensis adducit ex c. 1. & 2. b. t. ibi enim non prorogatur jurisdictione Judicis etiam in reconventum à Reo Actorem , nisi in casu , ubi uterquè fuit Clericus , ut ostendimus jam supra n. 535 . privilegium enim fori eximens Clericum à foro Laico , non eximit à foro Ecclesiastico . Hinc esto

verum sit , compétentem esse Judicem Tituli v.g. qui in eum jurisdictionem à lege habet ; probandum tamen restat , quòd Judex Laicus in Clericum jurisdictionem à lege habeat ; cuius contrarium constat ex n. 66 . & seq.

Ad 2. confirm. in n. 538. Resp. argumentum fieri ab eo , quod digniori , vel majori licet contra minus dignum ad inferiorum , ut idem liceat hunc contra illum ; quod profectò non r. Etè concludit , nisi probetur , causam antecedentis communem esse illi , pro quo concluditur in consequenti . Deinde dato antec. N. conseq. Ratio discriminans est , quia in Judice Ecclesiastico præexistit jurisdictione cognoscendi causas etiam profanas Laicorum , illi pluribus iuribus attributa , ut constat ex dict. à n. 115 . at in Judice Laico nulla præexistit jurisdictione cognoscendi causas etiam profanas Clericorum , illi ullà lege , vel canone attributa , ut citatis locis ostensum est ; ergo .

**545.** Ad. 3. confirm. in n. 539. Resp. non reddit fieri argumentum a Legatis ad Clericos in hoc cau ; ratio est , quia exemptio Legatis competens dispositione juris civilis , eodem jure limitari potuit exceptione certi casus sicut jure canonico limitari potest exemptione Clericis concessa dispositione juris canonici ; at , quod illis concessum est jure canonico , limitari non potest jure Laico , & seculari ; haec tenus autem nullibi ostensum est , jure canonico limitatum esse privilegium exemptionis a foro Laico , Clericis concessum jure Ecclesiastico ; ergo . Ad id , quod additur de prorogatione jurisdictionis facta à lege , responsum est n. 543 . & ostensum , huic prorogationi legali non esse locum ; imo in hoc casu eam non posse prorogari .

**546.** Ad. 4. confirm. in n. 540. negatur non obstat jura inibi relata ; contrarium enim ostensum est , tum lib. I. tit. 2. tum hic à n. 66 . & tit. de foro competente , à n. 241 . Deinde Vallensis , volens ea jura , Clericos eximentia à foro Laico , intelligi de Spiritualibus , paulò autem concesserat , ut retulimus n. 538 . ex ipso met , Clericum non posse conveniri coram Judice Laico , in causis criminalibus , vel decimarum , & tamen nec causæ criminales Clericorum sunt spirituales ; nec causæ decimarum sunt spirituales simpliciter , sed tantum annexive . Deni-

Denique in prædictis juribus non tantum esse Sermonem de spiritualibus *in se*, vel per annexionem, sed etiam de bonis Ecclesiasticis, & personarum Ecclesiasticarum, pluribus ostensum est lib. I. tit. 2.

- §47. Henricus Zoësius h. t. n. 4. postquam retulit communem sententiam affirmantium, jure civili, & canonico, permisam esse reconventionem sine distinctione Judicis, *laicus sit, an Clericus, Ordinarius, an delegatus*, etiamsi causæ per reconventionem propositæ non sit competens; non factâ etiam distinctione inter personas reconvenientes, & reconventas, *laici sint, an Clerici*, subjungit: posset tamen alicui contrarium non improbabiliter videri, per textum in c. *se diligenti. 12. tit. 2.* quod non vult Clericos, sive volentes, sive invitatos, subire iudicia secularia, ne quidem ex pacto per juramentum vallato. Sub hæc, ad fundamentum negotium producendum hæc addit: alii tamen, qui opinionem communem tueruntur; ibi tantum volunt prohiberi prorogationem jurisdictionis laicæ *per hominem*, quando hoc principaliter agitur; non etiam, quando ex consequenti *per legem* inducitur prorogatio. Et hoc, si agatur *de re profana*, de qua *in abstracto* judicare potest Laicus: nam si *spiritualis* esset, reconventio non permetteretur; sic ille.

- §48. Ex quo Zoësi discursu deduci posset pro favore affirmantium hoc argumentum: quando casus controversus, de quo agitur, non est decisus in uno jure, v. g. canonico, rectè Judex juvatur ex resolutione contenta in jure altero, v. g. civili; vel econtra, ut colligitur ex c. 1. de novi operis nuntiatione; sed an Clericus reconveniri possit coram Judice seculari, quando Clericus convenit Laicum coram seculari Judice, saltem in causa profana, seu civili, non est decisum in jure canonico, saltem expressè; decisum autem est in jure civili, saltem indefinitè; ergo rectè Judex juvatur ex decisione juris civilis, quæ communis est, ut patet ex præced. num. Deinde, ut protogetur in aliquem jurisdictione Judicis alieni, sufficit, quod in eo præexistat jurisdictione cognoscendi de talicaufa, saltem in abstracto;

sed Judex secularis de causa profana, & civili saltem in abstracto cognoscere potest, ut per se patet; ergo in causa reconventionis prorogari potest, si non ab homine, saltem à lege, *juris d'etio seculatis in Clericum*, qui coram ipso convenit Laicum, esto alias Clericus non possit conveniti coram Judice Laico etiam in tali causa.

Ad 1. Resp. datâ majori, sub limitationibus consuetis, quando scilicet jus civile non sovet peccatum, expreßè opponitur Sacris Canonibus, aut Immunitati Ecclesiarum, vel personis Ecclesiasticis, earumquæ bonis, ut dictum est alibi; sed nego minorem, ut jam ostensum est, si attendatur concessio majoris sub facta limitatione. Ad 2. Neg. maj. Nam, ut constat ex num. 538. in Judice seculari præexistit jurisdictione cognoscendi causas criminales, decimatum, &c. sumptas *in abstracto* (nimurum præscindendo, an sint causæ criminales Laicorum, vel Clericorum; an decimæ sint Ecclesiasticæ, an Laicæ?) & tamen de illis sumptis *in concreto* (nimurum *de causis criminalibus Clericorum*; de decimis Ecclesiasticis) cognoscere non potest; ergo non sufficit ad prorogationem etiam legalem, quod in Judice præexistat jurisdictione circa talem causam in abstracto; quibus positis:

Ad questionem initio propositam §50. Resp. verius, ac juri conformius esse, Clericos reconveniri non posse coram Laico Judice, etiam in causa profana, seu merè civili. Ratio est, quia non est recedendum à dispositione generaliter prohibitoria, nisi casus aliquis specialiter sit jure in contrarium exceptus, aut cogat ratio convincens; atqui dispositio generaliter prohibitoria est, ne *in ulla causa* Clericus coram Judice laico judicetur, exceptis causis feudalibus; & ab hac dispositione generaliter prohibitoria casus reconventionis etiam in causa profana, & civili nullo jure in contrarium est exceptus, nec etiam ulla ratio cogit ad ejusmodi exceptionem; ergo reconventioni Clerici coram Laico Judice etiam in causa profana, & merè civili non est locus; prima pars minoris constat ex dict. l. 1. tit. 2. & superius à n. 66. altera etiam ex ratione.

tionibus in contrarium, ut patet ex re-  
sponsionibus ad contraria; ergo.

551. Dixi: *opinionem negantium esse iuri conformiorem*; nam opinioni affirmantium non possunt in hoc casu favere leges Principum secularium, ut notavimus in præmissis; quia leges civiles, seu Cæsaræ, quæ statuunt, quod Actor litigans coram aliquo Judice, à Reo reconveniri possit, & respondere teneatur coram eodem Judice, licet alioquin ab ejus jurisdictione exemptus sit, pertinet solum ad subditos laicos, neque extendi possunt ad Clericos, qui omnimodi à jurisdictione seculari sunt exempti: cùm hujusmodi leges non sint approbatæ, aut receptæ à Jure Canonico: neque enim Ecclesia recipere solet leges civiles, quæ Clericali Ordini præjudiciales, seu onerosæ sunt, aut libertati Ecclesiasticae adversantur.

552. Dicit etiam non potest, eas leges Principum esse canonizatas jure Sacerdotum Canonum. Quamvis enim reconvenio permitta, & approbata sit à Jure Canonico; non tamen est approbata, in ordine ad personas litigantes coram Judice seculari, sed pro foro Ecclesiastico, & quoad partes litigantes apud Judicem Ecclesiasticum, coram quo Clerici, sive à Clericis, sive à Laicis conventis reconveniri possunt: imò etiam Laici in causa spirituali, vel Ecclesiastica; ut diximus supr.

553. Dices: causâ. 3. q. 8. c. *Accusatores*.  
1. à Zephyrino Papa clare approbatur textus legis penultimæ, Cod. de sentent. & interlocut. cùm dicto capitulo primo, hujus legis formalia verba (*cuius in agendo quis observat arbitrium, eam habere etiam contra se Judicem in eodem negotio non deditgetur*) aperte inserta reperiantur, ut constat ex textu, §. Nullum; ergo reconventioni Clerici coram Judice Laico, etiam de jure Canonico locus est. Resp. nego anteced. Ad prob. dist. verba legis citato capitulo clare inserta sunt à Gratiano, C. à Zephyrino Papa, N. ex hoc autem, quod leges quandoque teperiantur insertæ Sacris Canonibus, non reæ deducitur, eas esse Canonizatas, seu in vim Canonis assumptas; sed requiriatur, quod assumptæ sint ab illo, qui eis suam autoritatem potest impetriri; quod

in dato casu factum non est; nam, ut reæ notat glossa in dict. c. 1. *V. cuius in agendo*, hæc lex non est de capitulo; *inserta tamen fuit à Gratiano*, occasione illorum verborum: *nullum constringit sententia à non suo Judice dicta*, ut scilicet exciperet casum reconventionis, secundum quod jure permitta est; cùm quandoque cesseret, ut pluribus ibidem specificat, de quibus etiam dicemus infra à num. 557. Et hoc etiam glossa repeatit in V. ut *Codice*, dicens, illa verba citati c. *Accusatores*, incipiendo à verbis *ut Codice*, usque ad V. *Judices*, *non esse in Epistola Zephyrini*, nec in vetustis *Gratiani* codicibus.

Dixi: 2. *opinionem negantium esse conformiorem iuri*; nam consuetudo in contrarium, ut nimis Clerici in civilibus, & profanis coram Judice seculari reconveniantur, in multis locis usurpatur; quia tamen non omnis consuetudo jus tribuit, cùm sàpe sit illegitima, imò nunquam legitimè inducta etiam de tāto, & legali consensu ejus, qui contrariam legem tulit, imò sàpius reprobata, non propterea licitum facit agere, quod consuetum est; nec ex eo, quod Summus Pontifex ejusmodi Laicorum consuetudines toleret, illas etiam tacite, & facto approbat, ut claro jure demonstravimus alibi, ex c. *cum non ignores. 15. de proband.* ubi, ut habetur in tota lectione illius textus, reprehendit Pontifex Archiepiscopum Genuensem, volentem in sua Diocesi inducere consuetudinem Ecclesiæ Gallicanæ, quæ *unum ad plura beneficia recipit contra Sanctorum Canonum instituta, ac expressè dicit, nec eam à se approbari, licet non possit præ multitudine peccantium emendari.*

Vide. n. 432.

### ARTICULUS III.

*In quibus causis locus fit reconveniō?*

IN hac quæstione communis regula traditur, jure communi reconventionem fieri posse in omnibus causis, specialiter non exceptis; quamvis aliqui ex dicta

dicta L. 14. de qua n. 525. existent, cām regulam non procedere, nisi mutuū petitiones, seu conventio, & reconven-  
tio in eadem causa instituantur, eo, quod lex dicat in eodem negotio; negotium autem juridicē stet pro causa; sed com-  
munis DD. sententia tenet, ibi negotium non accipi pro causa; ut alias communiter solet; sed pro instantia, nimurum;  
Reum conventum posse in eadem instan-  
tia reconvenire Actorem; id, quod præ-  
ter alios etiam explicat Corvinus h. t. in  
fine dicens: negotium seu causam con-  
ventionis & reconventionis dici eandem  
causam, seu idem negotium, eo, quod  
idem Judex, idem litigantes, eadem in-  
stantia, & una sententia determinanda.  
Hinc Reus conventus ab Actore actione  
empti, potest eum reconvenire actione  
mutui, vel locati, aut qualibet alia non  
excepta. Nihil enim curandum, ait  
Zoëlius in 42. Cod. tit. 1. num. 36. quod  
reconventio non oriatur ex eadem causa  
cum conventione; cum hoc non requiri-  
ratur, & sufficiat qualiscunque casus, ex  
quo Reus vult reconvenire agentem; ad-  
deò ut etiam coram Curia Feudali, que  
non cognoscit de aliis quam feudalibus,  
reconveniri Actor possit de pecunia ali-  
unde debita, gloss. 1. in fin. 2. Feud. tit.  
16. Wamef. Cons. de jure Pont. 71. num.  
5. & Cent. 1. Conf. 40. n. 1. & seq.

356. Hinc etiam negandum est, quod con-  
ventus actione reali, non possit Adver-  
sariorum reconvenire actione personali, vel  
econtra; nam in hoc casu rationi, ex qua  
procedit Imperator in L. 14. de qua n.  
525. a quo locus est, ac si conventus  
realiter, reconveniret Actorem eodem ge-  
nere vindicationis, seu actionis realis;  
nec obstat, quod Actor conveniens Re-  
um actione reali (quando nullam rem ha-  
bet, debitam Reo) non sit Reus alicujus  
rei Reo debitæ, iti contingit, si solum  
personaliter obligatur Reo; hoc enim  
non obstat; cum omnis actio realis, inten-  
tata Reo, indirecte saltem, & conse-  
quenter etiam tendat in ejusdem perso-  
nam, ut restituat, ut satisfaciat, &c. nec  
enim ipsa res scipsum reddit; & vicissim  
actio etiam personalis plerumque tendat  
consequenter, & indirecte, in rem ali-  
quam, ut si Emptor actione personali  
TOM. II.

conveniat Venditorem, ad rem traden-  
dam, pro qua pretium accepit ab Emp-  
tore; vel præster, quod suā interest, rem  
traditam non esse, &c. his præmis-  
sis:

## Q. I.

An Reconventioni locus sit in causa  
criminali?

R Esp. negativè; cuius ratio est, quod  
non relatione criminis, sed canonica  
purgatione Reus fiat innocens, c. 1. & 2.  
c. Prius. III. q. 2. ac L. 5. de publ. jud. quia  
non potest proponi causa reconventionis;  
nisi ab eo, cui per eam quid quæri posset;  
quoad diminutionem debiti per Actorem  
petiti; non potest autem quæri Reo per  
criminalem causam, cum pena cedat  
Reip. Quò facit, quod traditum in ma-  
teria compensationis, eam non admitti  
in criminalibus; cum qua affinitatem ali-  
quam habet reconventio. Deinde, quia  
Accusator non sponte elegit Judicem, sed  
postulantē necessitate propter injuriam si-  
bi, vel Republicæ illatam; & sic cessat  
ratio; propter quam inducta est recon-  
vention: tum quia Accusator propter actio-  
nem civilem non debet distrahi à persecu-  
tione judicij criminalis, in quo vertitur  
publicum interesse, ne delicta maneat  
impunita: Abbas in c. 1. num. 22. in fi-  
ne, h. t.

Not. autem, cum dicimus, reconven-  
tioni non esse locum in causa criminali;  
debere intelligi, quando ea causa crimi-  
naliter intentatur Reo; nam  
si civiliter, locus erit reconventioni, ut  
habetur III. q. 2. c. cum Ecclesia alicujus  
Episcopi, aut possessio[n]es, vel ras ab emu-  
lis ejus, vel a quibuscumque alii non ita  
sponte detinentur, aliquid illi non debet  
aut potest à quoquam ante redintegratio-  
nem omnium rerum suarum objici; Sed  
prius illi legibus redintegranda sunt om-  
nia, & postea tempore a Patribus definita  
sunt negotia ventilanda; quod tamet  
intellige, finito criminali judicio; nam  
Reus conventus criminaliter, pendente  
hoc judicio Actorem reconvenire non  
potest. 1. non criminaliter; nisi Reus,

con-

conveniendo criminaliter, majus crimen objiciat, aut suum, suorumque injuriam persequatur, L. neganda. 19. ff. de his; qui accusare non possunt. L. 2. Q. Sed etiā, ff. de judicis: non civiliter; quia civilis actio criminali jure postponitur, L. Adulterii. 33. C. ad Leg. Jul. L. fin. C. de Ordin. judic.

559. Not. 2. cūm num. præced. dicimus; Reum conventum *criminaliter*, posse Actorem quoque reconvenire criminaliter, debere intelligi, si Judex conventionis sit competens Actoris, seu Accusatoris; notū autem secūs; quia, ut diximus n. 557. Accusans non elegit alienum Judicem *sponte suā*, sed necessitate boni communis, vel suæ injuriae. Aliud est de Reo *civiliter* convento; tunc enim ei licebit; Actorem etiam pendente judicio civili reconvenire criminaliter non modo in causa diversa à causa conventionis; quamī descendente ab illa (ut si eum accusat de falsis testibus, aut instrumentis in ea prædictis) sed eo casu judicium hoc criminale præfertur civili, & prius finiendum est, ut diximus num. præced.

## S. II.

*An reconventioni locus sit in causa spoliationis.*

560. DE hoc agitur c. fin. de ordine cognit. ubi Gregorius IX. sic loquitur: *Super spoliatione conventus, adversus restitutionem petentem non est (nisi super questione spoliationis) se eum reconveniat, audiendus. Cūm restitutionis petitio in hoc privilegiata noscatur, ut ipsam intentans non cogatur ante restitutionem spoliatoribus respondere. Quanquam ab agendo (spoliatione ab eis in modum exceptionis proposita) repellatur.*

561. Ex hoc textu habetur, quod si spoliatus agat in judicio possessorio contra spoliantem, ut sibi res ablata restituatur, Reus conventus non audiatur, licet Actorem velit reconvenire super petitione alijus rei, nisi reconveniat eum super alia spoliatione; quia judicium possessoriū. Unde vi, seu recuperanda possessionis, atque adeò petitio restitutionis in hoc est privilegiata, ut, qui eam intentat, non te-

neatur respondere Reo convento, antequam fiat rei ablata restitutio, licet Reus conventus possit illi opponere exceptionem alterius spolii, & sic eum ab agendo repellere; ita c. fin. pro intelligen- do.

Not. 1. quod Reus conventus in causa spolii ab ipso facti duplum possit vicissim in judicio Actori opponere spoliationem ab Actore factam: primò, si Actori commissam spoliationem ab ipso opponat per modum exceptionis; secundò, si per modum actionis, seu reconventionis; ut patet ex c. cum dilectus. 2. de ord. cognit. ibi: *Nos autem distinguendum esse creditur, utrum spoliationis questio sit objecta in modum actionis ad restitutionem petendam, an in forma exceptionis, ad intentionem adversarii repellendam?*

Not. 2. si Reus vicissim spoliationem commissam opponat per modum actionis, fore mutuas petitiones; consequenter utramque causam in judicium deductam debere unā eadēque sententiā terminari; sic tamen, ut causa spolii ab Actore proposita tractetur prius; sic Innocentius III. in eod. textu, c. 2. ibi: *cum ea, in modum actionis proposita, intelligentur mutuae petitiones, se se tanquam diverse minime contingentes: ac per hoc juxta regulam juris (quā dicitur, qui prior appellat, prior agat) quae prius esset proposita; prius foret tractanda: quanquam in idem judicium amba deductae, vicissimque tractatae, simul essent eadē sententiā terminandae.*

Not. 3. si Actori in causa spoliationis à Reo per modum actionis opponatur vicissim spoliationem ab Actore commissa, Actorem; probata sua actione (nimis spoliatione sibi facta) simpliciter; & absolute restituendum esse; licet non probaverit proprietatem; nec obesse reconventionem Rei; quia cūm hæc reconventionis actio; & actio tendat ad acquirendum, propter factam à Reo reconventionem, seu mutuam petitionem, non est repellendus; sed, ut dictum est, purè restituendus; quia spoliatus ante omnia est restituendus, c. Ex literis. 5. de restitut. spoliat.

Not. 4.

§65. Not. 4. si Actori in causa spoliationis à Reo per modum exceptionis opponatur à vicissim spoliatio contra Reum ab Actori commissa; excipientem prius audiendum, & exceptione probata, non obligatum iri ad respondendum Actori; ita textus cit. c. 2. ibi: sed quoniam questio illa fuit ab eisdem nobilibus tantum in modum exceptionis objecta: interloquendo pronunciamus, ut probationes eorum super ipsa exceptione primitus audirentur, & ea probata legitimè, Abbatii non cogentur respondere super petitionibus memoratis, donec restituuerentur ab ipso: cùm spoliatori spoliatus, ante restitutionem non cogatur ulterius respondere.

§66. Quaeres, an Reus probata exceptione, & consequenter Actore ab agendo repulso, sit restituendus in tali casu? Resp. ad hoc dari responsum in dict. c. 2. §. Verùm, ibi: verùm spoliatione in modum exceptionis tantum probatā, non est per hoc restitutio facienda; quod intellige, non esse faciendam per Judicem imponendo sententia literis restitutio; cùm, ut supponit casus, Reus opponendo Actori exceptionem spoliationis ab ipso factæ, nihil petierit (exceptione enim est solum actionis exclusio) Judex autem non tenetur adjudicare petitionem nihil pertenti: Dixi per Judicem; nam securus est per Actorem, si velit prosequi suam actionem; nam aliàs in hoc casu propositæ contra illum, ac probatæ spoliationis manet ab agendo suspensus, dum Reo per ipsum restitutio fiat, ut ex ipso textu constat.

### §. III.

An reconventioni sit locus in causa appellationis?

§67. **Q**uestio procedit de appellatione judiciali; nam de extrajudiciali affirmat Pirking, de mutuis petitionibus, numer. 16. quod in tali casu Judex principaliter audeatur; loquendo autem de judiciali, ubi, in prima instantia vicitus, appellat, suadetur negativā, nimirum non concedi Victori reconventionem appellantis. 1. ex L. 2. & 1. ff.

Tom. II.

de Judiciis, ibi: ei quoque, qui ipse provocavit, non imponitur necessitas intra tempora provocationis exercenda Roma, vel alio loco, ubi Provocatio exercetur, aliis pulsantibus respondere. 2. ex L. 13. ff. quibus ex causis in possit. eatur, ibi: ad cognitionem Imperatorum à Praeside provinciae remissus, et si in catenis litibus Roma defendere se non cogitur, tamen in provincia defendendus est.

Rationem reddit Bartolus in Authent. & consequenter n. 15. quod in casu, quo Actor non eligit sponte Judicem, sed quadam necessitate inductus, non possit reconveniri coram eodem Judice, quem non tam probavit, quam coacte ei se subjecit, ut cessante ratione cit. L. 14. in causa appellationis, ob necessitatem saltem causativam, ex injurya, quam sibi persuader appellans illatam per sententiam primam, cessare etiam debet ejus decisio; quam rationem & sequitur Lanfrancus in Clement. Sape num. 67. de verb. signif.

Magis tamen placet, quam reddit §69.  
Haunoldus tom. 5. de jure, & iust. tr. 3. num. 366. quia Judex appellationis unicè ad hoc eligitur, ut judicet super sententia Judicis in prima instantia, ut eam vel approbet, vel reformet; adeoque, quia causa reconventionis spectaret potius ad Judicem primæ instantiæ, coram quo conveniens esset appellans extra casum appellationis, ideo Judex appellationis non debet se immiscere. Hanc rationem etiam assignat Gonzalez in c. 1. h.t. num. 10. dicens, reconventioni non esse locum, ubi non est actio, sed coram Judice appellationis non est actio; cùm appellans non agat, nec aliquod jus persequatur; sed tantum conqueratur de iniquitate sententia Judicis à quo.

Dices: si locus est reconventioni 70. etiam coram Judice ordinario; erit ei quoque locus coram Judice appellationis; nam. 1. Judex appellationis est Judex ordinarius; 2. Judex appellationis succedit in locum Judicis à quo per L. Tutor, ff. de Usur. Raynutius, de

U 2

testa-

*testament.* 3. quia subrogatum sapit nàturam subrogati, L. *si eum*, §. *qui injuriarum, ff. si quis cautionibus;* ergo sicut coram Judice à quo, sic coram Judice *ad quem*, erit locus reconventionis; 4. *appellatio* reducit causam ad eum statum, in quo fuit tempore litis contestata; c. *per tuas, de appellat.* & L. *ita demum. 10. ff. de Procurat.* sed lite contestata in causa principali, usquè ad judicij exitum, reconventionis habet locum; ergo etiam coram Judice *ad quem*, seu *appellationis.*

571. Resp. ad. 1. omnino concedi, locum esse reconventioni etiam coram Judice ordinario, si hic etiam sit competens & capax respectu causæ reconventionalis; sed negari sequelam exinde factam ad Judicem *appellationis*; nam iste non Judex competens respectu aliarum causarum, quæ de quibus ad eum provocatum est; c. *Pastoralis, de offic. delegati;* cum igitur causa reconventionalis coram Iudice primæ instantiæ non sit mota, Judex *appellationis* de illa non est competens, atque adeò de illa cognoscere non potest. Ad. 2. Resp. cum distinctione, & concedo, quod Iudex *appellationis* succedat in locum *Judicis ordinarii*, seu *Iudicis à quo*, quoad merita causæ, ac ea, quæ in prima instantia sunt deducta; non autem, quod ad reliqua; at causa reconventionis ponitur non deducta in prima instantiæ; ergo. Idem est de Iudice *subrogato* alteri, ut scilicet possit de illis cognoscere, quæ deducta sunt in instantia *Iudicis*, cui subrogatus est; ex quo habetur responsio ad. 3. Ad. 4. Resp. verum esse, quod *appellatio*, quoad ea, quæ deducta sunt in *judicium primæ instantiæ*, reducat causam ad eum statum, in quo fuit tempore litis contestata; non autem quoad alia, quæ deducta non sunt in *judicium primæ instantiæ*; hinc datâ *min. dist. conseq.* ergo reconventionis etiam coram Iudice *appellationis* usque ad *judicij exitum* habet locum, quoad ea, quæ deducta sunt in *judicium primæ instantiæ*, C. quoad alia, N. conseq. Qui enim causam reconventionis lite contestata potuit deducere

in *judicium primæ instantiæ*, & non deduxit, imputare sibi debet eventum, quod ad hoc non admittatur à Judice *appellationis*; cùm potestas ejus non extendat se, nisi ad ea, de quibus Iudex à quo sententiam tulit, à qua est *appellatum*; nec enim munus ejus aliud est, quæ approbare, vel reprobare *judicatum* à Judice *inferiore*, si hic bene, vel male *judicavit*; non autem pronuntiare super alio, de quo nihil pronuntiavit inferior propterea, quod coram se nihil de re illa productum fit.

Nequæ argumentum bene sumitur à Iudice delegato ad Iudicem *appellationis* in materia reconventionis. Nam licet *jurisdic̄tio delegata* sit stricti juris, quoad ea, quæ ex mandato delegantis veniunt; secundum tamen est quoad ea, quæ ex legis dispositione. Hinc est, quod Iudex delegatus legitimas exceptions, & alia, quæ ipso iure veniunt, admittere tenetur, etiam si id expressum non sit, c. ex parte 13. c. *prudentiam*, §. *sexta, de offic. delegati.* Unde cùm reconventionis propter prorogationem à jure induc̄tam admittatur, etiam coram delegato habet locum: at *jurisdic̄tio Judicis ad quem*, seu *appellationis*, dispositione juris ad ea solū porrigitur, de quibus egit inferior per sententiam, à quā *appellatum* est; ergo.

#### Q. IV.

*An reconventioni locus sit in causis executivis, & summaris?*

Q. Vid sint causæ *summariae*, seu, quæ *judicio summario tractari* debent? constat ex dict. à n. 14. Causæ porrò *executivæ* dicuntur, quæ paratam debent habere executionem; quo posito Pirhing, b. t. n. 16. §. *Quarto*, respondet, in causis *executivis* non admitti reconventionem quoad hoc, ut *pari passu ambulet cum causa conventionalis, & simul tractetur*; bento tamen quoad effectum prorogationis *jurisdictionis*, ut postea de causa reconventionis cognoscatur coram eodem judice.

Berlichius apud Haunold. tom. 5. de *Jure* 574. *re, & Just. tr. 3. n. 371.* ad utramque propositam questionem respondet affirmativa.

mative, probatione desumptâ ex Clem. i. de verb. signific. ubi, postquam dicitur: Verum, quia juxta petitionis formam pronuntiatio sequi debet pro parte agentis, & etiam Rei, se quid petere voluerit, est ipso litis exordio petitio facienda, sive scriptis, sive verbo, &c. statim subjungitur: quae omnia, etiam in illis casibus, in quibus per aliam constitutionem nostram, vel alias procedi potest simpliciter, & de plano, ac sine strepitu, & figura judicij volumus observari.

575. Deinde, si dato casu non esset locus reconvocationi, esset ex eo, quod causæ executivæ paratam habeant executionem; & Summaria celeritatem desiderent, consequenter excludant reconventiones, ut pote morolas, & noxias executioni paratae, ac expeditioni celeri; sed hoc non obstat: nam causa damni infecti est *Summaria*, per L. i. ff. de *damno infecto*, ibi: cum res damni infecti celeritatem desideret; sed hoc non obstante in causa damni infecti admittitur reconventio; quia, cum, ut habetur L. 35. Q. 2. ff. de *Procuratoribus*. Procurator Actoris debeat Actorem defendere, dicitur in L. cit. si stipulatione legatorum, vel *damni infecti* velit caveri, debet absentem (intellige Actorem) incompetenti Tribunali, & eadem Provincia.

576. Dices: in causa depositi non admittitur reconventio; ergo nec in causis executivis. Ant. prob. ex L. penult. C. *Depositii*, ibi: Si quis vel pecunias, vel res quasdam, per depositionis acceperit titulum, eas, volenti ei, qui depositum reddere, illico modis omnibus compellatur, nullamque compensationem, vel deductionem, vel dolii exceptionem opponat, quasi & ipse quasdam contra eum, qui depositum, actiones personales, vel in rem, vel hypothecariam prætendens, cum non sibi hoc modo depositum acceperit, ut non concessa ei retentio generetur: & contractus, qui ex bona fide oritur, ad perfidiam retrahatur. Resp. dato anteced. propter claram legem jam relatam, nisi ex utraque parte aliquid fuerit depositum; N. consequ. nam pro isto contratu, seu causa depositi stat clarum privilegium, expressum dicta lege penult. quale non habetur jure expref-

sum pro causis executivis, & Summariis.

Dixi: nisi ex utraque parte aliquid sit depositum. Nam tali casu locus est reconvocationi, sic tamen, ut, quamvis statim restitui debeat depositum, haec restitutio prius fiat illi, qui prior petuit, ut dicitur cit. L. penult. Q. Sed eti, ibi: sed eti ex utraque parte aliquid fuerit depositum, nec in hoc casu compensationis præpedito oriatur: sed deposita quidem res, vel pecunia, ab utraque parte quam celeberrime, sine aliquo obstaculo, restituuntur, ei videlicet primum, qui primus hoc voluerit, & postea legitima actiones integra quoque ei reserventur.

His exceptionibus aliqui annumerant 577. alios quoque casus, in quibus locus non sit reconvencionis; primum dicitur in casu, quo extrajudicialiter imploratur Officium Iudicis; quia tali casu non præcedit actio, quam præsupponit reconvencionis; 2. quo quis conventus apud Dominum directum, & in causa feudal, reconveniret Actorem in causa non feudal; nam Domini directi jure feudi quoad jurisdictionem restricti sunt ad causas tantum feudales; 3. si reconvencionis fieret in materia, seu causa, in qua Judex conventionis caret omni jurisdictione, ut si coram Iudice Laico Reus conventus in causa profana, reconveniret Actorem in causa merè spirituali; 4. in momentanea possessione; gloss. in c. fin. de ord. cognit. 5. si Actori reconvencionis vellet Reum reconvenientem, etiam reconveneret; propter nimiam actionum cumulationem:

Annotandum præterea, in quibusdam 578. Provinciis, quoad materiam reconventionis jure municipali aliter procedi, quam decretum sit jure communis; nam in certis locis solum admittitur in causis conexis, hoc est, quando causa reconvencionis dependet, seu nascitur ex eodem contractu, vel instrumento, seu fundamento, ex quo procedit conventio; sed haec sunt juris solum statutariorum; in quo spectandus est rationabilis, & constans usus Tribunalium; non varius, ut tunc procedat solum, quando servit causa, pro qua privatis affectibus laborant Iudices; rejiciatur vero prætextu

frivolo (est alius casus) si contrarie-  
tur.

## ARTICULUS IV.

Quando proponi debeat reconven-  
tio.

580. **D**uplex est sententia: prima Durandi in Specul. l. 2. p. 1. de Reconvent. §. Sequitur. 3. volentis, eam fieri posse quocunque tempore, etiam post litem contestatam, usque ad conclusionem in causa: altera communior eorum, qui docent, proponi debere statim in exordio litis, & in continent, ante litis contestationem, vel immediate post illam, & quidem prius, quam ad alia procedatur; ita Zoësius h. t. m. 10. & alii communiter, loquentes de reconventione propriè, quæ scilicet ambulet pari passu cum conventione, hoc est, quâ Reus conventus velit causam reconventionis cum causa conventionis simul eodem judicio terminari, retardatâ conventionis causâ, dum etiam reconventio cognita simul finiatur; ut exponit Vallensis h. t. §. 3. n. 1. secus enim erit reconventio solùm impropriè, quæ scilicet non retardet causam conventionis, quibus positis:

581. **R**esp. de quæstione proposita agi c. 1. h. t. ubi, cùm Plebanus Maturensis, qui Abbatem ejus loci convenit, ab hoc reconventus, ad causam reconventionis Abbatii respondere nollet, rescripsit Alexander III. Judicibus delegatis: quoniam rationis ordo exigit, ut Plebanus, & Clerici Maturen. Abbatii, & fratribus Maturensis Monasterii, de iis, quæ adversus eos proponunt, debeant in vestra præsen-  
tia respondere, cùm sibi ex ipsis coram vobis, à Sede Apostolica delegatis justitiam postulant, exhiberi: Mandamus, quatenus actione Plebani & Clericorum proposi-  
ta, & responsione facta: monitione præmissa compellatis eosdem memoratis Abba-  
ti, & fratribus in continent, coram vobis, super suis questionibus respondere, ut vicissim postmodum rationes partium au-  
dientes, concordia, vel judicio utriusque negotium terminetis.

De hoc etiam in Clement. Sape. 2. de 582  
Verb. signific. dicitur: Verum, quia jux-  
ta petitionem pronuntiatio sequi debet,  
pro parte agentis, & etiam Rei: si quid  
perere voluerit, est ipso litis exordio pe-  
titio facienda; & in Novella 96. c. 2.  
ibi: Sancimus igitur, ut si quis obnoxium  
se habere arbitretur eum, qui contra  
ipsum accusationem proposuit, non apud  
alium Judicem, sed apud eundem sta-  
tim ab initio hunc accuset, ut idem  
Index in utraquè controversia sit.

Ex his juribus habetur, reconventionem (propriè dictam) debere fieri in ipso litis exordio, ut loquitur Clemencia Sape; & statim ab initio ut dicitur Novellâ cit. vel saltem statim post litem contestatam, ut colligitur ex dict. c. 1. ibi: mandamus, quatenus actione Ple-  
bani, & Clericorum proposita, & re-  
sponsione factâ, compellatis eosdem Ab-  
bati super quæstionibus suis respondere;  
quia contestatione litis factâ propriè est  
initium, & exordium litis. Quod au-  
tem jura loquantur de reconventione  
propriè dictâ, colligitur ex ipsis eorum  
verbis, c. 1. ibi: ut vicissim postmodum  
rationes partium audientes, concordia,  
vel judicio utriusque negotium terminen-  
tis; & cit. Novell. ibi: ut idem Judge  
in utraquè controversia sit. Ex quibus  
tandem concluditur, reconventionem  
propriè dictam, non posse fieri ex in-  
tervallo, post litis contestationem; cùm  
hæc assertio contrarietur aperte dictis ju-  
ribus, jubentibus eam fieri in exordio,  
in initio; id, quod non habet factâ ex  
intervallo v. g. post juramentum calu-  
mniz, &c. quod etiam colligitur ex  
hoc, quod titulus de mutuis petitioni-  
bus pónatur ante titulum de litis conte-  
statione.

Dices, contrarium haberi ex c. Di-  
spendiosa. 3. §. Reus quoque, de Rescript.  
ubi ampliat Pontifex statutum Grego-  
rii IX. ut si quis plures actiones contra  
alium voluerit movere, literas non  
ad diversos, sed eosdem Judices im-  
petret; secùs, cateat commodo litera-  
rum, neque processus valeat, & Actor  
Reo condemnetur in legitimas expen-  
sas. Reus quoque eodem durante judicio,  
Acto;

Actorem ( si literas contra illum impetrârit ) nonnisi apud eosdem Judices , si non sint suspecti , reconvenire possit ; simili pecunâ , si contra hoc fecerit , puniendus . Nam ex hoc habetur , quod Reus Actorem reconvenire possit *durante judicio conventionis* ; sed hoc durat usque ad conclusionem in causa ; ergo . Sed ad hoc respondet communi niter , casum esse de reconventione im propriè tali ; sic Haunold tom . 5 . tr . 3 . num . 339 . Q . Dixi ; Maranta de ordin . judic . p . 4 . dist . 6 . num . 5 . & ex eo Barbos . in cit . c . 3 . num . 4 . ubi expressè addit causam ; quia talis reconvencionio non ambulat pari passu ; nec per eam retardatur causa conventionis ; quod aperte denotat reconventionem impropriè talem ; ut notavimus supr .

385. Cœterum , interpretatio illius textus in c . dispensiosa , quam sequitur Pirhing . b . i . num . 17 . quod scilicet ibi videatur dici , Actorem à Reo reconveniri posse etiam in litis progressu usque ad sententiam definitivam , vel saltem conclusionem in causa , quia dicitur durante judicio , non videtur congruere casui , ac intentioni rescribentis . Nam ; eti verum sit , quod ibi dicatur . Reum conventum , si durante eodem judicio Actorem sibi obnoxium dixerit ; hoc tamen non videtur appellare supra idem judicium , identitate temporis , quo durat ; sed super idem judicium identitate Judicium ; nam de hoc ibi erat quæstio proposita , an Reis , volens reconvenire Actorem , & ad hoc impetrans rescripta plura , possit uti , si sint ad diversos judices ? & respondeatur , quod non ; sed quod debeant esse ad eosdem judices ejusdem judicii contestatione litis cœpti ; quin dicatur hoc fieri posse , quacunque parte judicii durantis .

386. Observandum præterea , quando in juri bus supra relatis dicitur , reconventionem fieri coram Judice Rei conventi ; sic accipiendum esse ; ut procedat ; si reconventionis causa talis sit , ut alioquin Judex ille inter suos subjectos possit in tali causa jurisdictionem exercere : unde non valeter reconventione in causa spirituali coram Judice laico ; item , si quis tantum

haberet jurisdictionem in causis civilibus , non posset Actor coram illo reconveniri in causa criminali & criminaliter ; id , quod jam notavimus superius . Nam Judex in causa feudali non potest esse Judex in reconventione super allodialibus , &c .

Observandum . 2 . quod eti causa conventionis , & reconventionis propriè dicta debeat simul terminari , hoc tamen debere intelligi regulariter ; si enim alterutra exigeret celeritatem , vel imminaret periculum animarum , talis causa foret prius terminanda . Nam dispositio juris humani non porrigitur ad casum , quod fieri non potest , nisi cum gravi damno , vel periculo animæ . Unde , quando dicitur , qui appellat prior , agit . L . 29 . de Judiciis , verum est , regulariter , & sceluso gravi alterius damno , præfertim animæ .

Observandum . 3 . reconventionem impropriam , ex intervallo factam , post litis contestationem carere quidem hoc esse eti , quod Judex debeat illam cum causa conventionis simul terminare ; non tamen isto , quod consentiente Actore possit prorogare jurisdictionem ; ut finita causa conventionis teneatur coram eodem Judice respondere . Ratio prioris partis est ; quia ; si illud procederet ; debaret Actor statim respondere post respon sionem Rei ; hoc autem in dato casu fieri non potest , cum casus ponat , reconventionem fieri primo post , & ex intervallo , quo nimurum conventio jam est in statu , quo suspendi non possit . Ratio posterioris est ; quia si consentit (supposito aliunde , quod prorogare possit jurisdictionem Judicis aliehi ) contra nullum jus agitur , censetur autem consentire , non opponendo exceptionem reconventionis non interposito tempore debito .

387.

388.

ARTI-

## ARTICULUS V.

*De reliquis ad hunc titulum pertinen-  
tibus.*

589. **P**ræter superius dicta de mutuis petitionibus not. 1. quando dicitur, quod is, qui alterum convenit coram Judice non suo, debeat esse contentus, ut & ipse vicissim conveniri possit; atque adeo proroget jurisdictionem ejusdem, debet intelligi de prorogatione, quæ sit in personas alioquin jurisdictioni non subjectas; sic Maranta de ordin. judicat. p. 4. dist. 6. n. 23. & quia hoc fundatur in dispositione juris civilis, cui non subsunt directè Clerici, ut ostensum est lib. I. tit. 2. accipiendum est de prorogatione jurisdictionis erga personas Laicas, noti autem Ecclesiasticas, ut diximus num. 316. Loquendo autem de causis alioquin Judici non competentibus, communiter distinguitur inter eas, quæ diversæ sunt vel secundum speciem, vel secundum quantitatem; & si diversæ sint secundum speciem, vel secundum quantitatem; & si diversæ sint secundum speciem, non est locus prorogationi, hæc enim ad similia tendit, & quæ sunt in eadem specie subjecta Judici relate ad suos subditos, non merè in abstracto, sed in concreto, ut montium supr. à n. 549. & tenet Durandus l. 2. p. 1. de Reconv. §. Nunc dicamus; secùs, si solum de quantitate; ut si Judex conventionis habeat jurisdictionem limitatam cognoscendi solum de causis non excedentibus 10. aureos, si Reus Actorem reconveniat in majori quantitate; tunc enim censetur prorogata ejus jurisdictione etiam ad istam, quod decisum videtur l. 11. §. 1. ff. de Judic. ibi: sed eis mutua sunt actiones, & alter minorem quantitatem, alter maiorem petat, apud eundem judicem agendum est ei, qui quantitatem minorem petit, ne in potestate calumniosa adversarii meis sit, an apud eundem litigare possim.

590. Not. 2. licet verum sit, quod Judex, qui non potest cognoscere principaliter de causa, propter ejus arduitatem, possit de illa cognoscere incidenter, v. g. de

statu hominis, an sit liber, vel servus? (nam de hoc cognoscere non potest principaliter Judex pedaneus) potest tamen, si incidat in causa, quo agitur principaliter de hereditate, ut dicitur L. 3. C. de Judic. & l. 2. C. de ordin. cognit. non tamen recte sequi, quod, licet Judex reconvocationis non possit cognoscere principaliter de aliqua causa, si quis in ea coram ipso conveniretur, possit tamen in causa reconvocationis, sicut in casu incidentiæ. Discriben est, quia causa reconvocationis non est necessariò connexa cum causa conventionis, sic, ut ista sine illa expediri non possit; secus est in casu incidentiæ.

Not. 3. quod modus procedendi in causa conventionis observandus sit etiam in causa reconvocationis, ut colligitur ex c. Prudentiam 2. h. t. Cum enim Cœlestino III. propositum fuisset, an, si alicui Judici à Papa causa delegata fuerit, remota appellatione, & Reus coram eodem Judice Actorem reconvenierit, causa reconvocationis similitet expediri debeat, remota appellatione, ita ut Actor audiendus non sit, si appellat? affirmativè respondit Cœlestinus III. quia Actoris, & Rei, eadem conditio esse debet, & quomodo sibi justitiā administrari desiderat Actor, ita contentus esse debet, ut justitia erga ipsum administretur. Ex quo communiter deducunt Canonistæ, quod modus procedendi per rescriptum, datus in causa conventionis, intelligatur repetitus in causa reconvocationis; sic Vivianus l. 2. juris Pontif. pag. 46. & alii; quod procedit, sive rescriptum impetratum sit ad instantiam partis, sive motu proprio; cuius ratio sumitur ex textu, quod in hoc Actoris, & Rei pars debeat esse conditio; quarè, si Judex debeat in causa conventionis procedere appellatione remota, vel processu summario, & solum de plano; idem censetur repetitur, ut similitet procedat in causa reconvocationis; id, quod erat iam tradit Lancellottus de Attentat. p. 2. c. 14. limit. 8. n. 53. & alii:

Not. 4. Judicem reconvocationis non posse recusari ab Actore tanquam suspectum. Nam hoc ipso, quod talem Judicem elegerit in causa conventionis, consenserit in eum, consequenter facto demon- stra-

stravit, quod eum non habeat suspicuum; ita Carpzovius p. 1. const. 7. def. 3. quod tamen intellige, servatis causis, in quibus diximus reconventioni non esse locum. Unde not. 5. Actorem, si nolit respondere ad libellum reconventionis legitimè factæ, in eo puniri, ut Reus non teneatur illi respondere ad libellum conventionis, justè illi à Judice negatâ audientiâ, prout colligitur ex c. 1. b. t. junct. gloss. V. respondere; sic Hostiensis in Summa, eod. numer. 4. &c. alii.

§93. Not. 6. si Judex reconventionis propriæ dictæ prius pronuntiaret super causa conventionis, sententiam quidem non fore nullam, Reum tamen posse appellare; sumitur ex L. 1. §. fin. ff. quæ sentent. sine appell. rescind. ibi: *si apud eundem Judicem invicem petamus, si &*

*mea & tua petitio sine usuris fuit, & Judex me priorem tibi condemnavit, quo magis tu prior me condemnatum habeas, non est mihi necesse, pro hac causa appellare, quando secundum Sacras constitutiones judicatum à me petere non possis, prinsquam de mea quoque petitione judicetur: Sed magis est, ut appellatio interponatur; in quo tamen textu videtur irreplisse mendum aliquod, ibi: non est mihi necesse; ubi videtur potius legendum per interrogationem, an est mihi necesse? cum sequatur responso: magis est ut interponatur appellatio; quod non esset, si sententia non teneret ipsa etiam jure, & appellare consequenter non foret necesse.*

